



gnitate divina, vel sola, vel maxime, derivat. Etenim vis, quamvis infinita, nihil habet, nisi efficiendi mundi facultatem: voluntas omnis est a benignitate, quae et esse cupit, quibus se conspicuam et amabilem reddere possit, et, si sunt, quam maxime iis se ostendere gestit. Nam, ut quisque est benignior, ita magis et benefaciendi materiam requirit, et benefactis laetatur, nec alia maior benigno animo voluptas potest contingere, quam a benefactorum conscientia. Ac profecto ea est benignitatis divinae vis, ut ea homini vix consistere potuisse videatur sine mundi effectione, in quo essent, quibus suam vim benefaciendo demonstraret. Nam benignitas, quae sit non modo vera, et magna, sed infinita, hoc est, quae habeat ardentissimam, et, paene dicam, insatiabilem benefaciendi voluntatem, si adiunctam habeat vim, parem efficiendis, quae velit, omnibus, nullo modo ita intelligi potest, ut eadem sit otiosa, nihilque agat, sed velut intra se vertatur, et sui se modo cogitatione et sensu oblectet. In mundo vero ipso efficiendo, etsi longius excedere videtur mentis humanae captum vis et sapientia divina, tamen et hic dominatum benignitati omnem attribuit intelligentia nostra, sentiens vidensque in omnibus, vim et sapientiam benignitati veluti pro instrumentis fuisse, per quae suam illa vim exprimeret. Quid dicemus de conservatione mundi et gubernatione univ[er]sa, quae est prope tota benignitatis? in qua, quoquo nos vertamus, in oculos propemodum ipsos se ingerit curiosa quaedam et vere paterna adversus genus humanum indulgentia? Nobilissima autem illa gubernationis et providentiae divinae pars, quae pertinet ad mentes humanas, et salutem felicitatemque animorum, per *Christum* partam et restitutam, tota a benignitate divina et ortum et perfectionem habet, totam ipse Deus ad amorem admirationemque benignitatis vult referri. Ipsum nomen Dei benignitatem sonat: *χαριστικῆς δυνάμεως ὁ Θεὸς ὄνομα: beneficae virtutis nomen est Deus*, inquit PHILO (*de Somniis p. 589.*) et, cum suam ipse maiestatem declarat, prope solam benignitatem praedicat, (*Exod. XXXIV, 6.*) ut magnitudinem suam vel ipse hac maxime censeat, vel ab hominibus intelligi ex hac et coli velit: denique cum ad mortalium humilitatem nominis illius altitudo transfertur, vnius benignitatis et beneficii magnitudo spectatur: et iuvans mortalis mortalem Deus appellatur (PLIN. II, 7.)

Ad magnitudinis autem divinae speciem, quam ipse Deus mentibus nostris impressit, ut ad eius normam omnis magnitudo inter homines iudicaretur, animus humanus vel effingit verae magnitudinis notionem, vel ipsam magnitudinem iudicat, praesertim eam, quae regibus et gubernatoribus generis humani conveniat. Est enim in iis potestatis divinae quaedam imago, suntque Dei quidam in terris vicarii: nec ullam in iis veram, et dignam illo fastigio, magnitudinem agnoscere debet aut potest mens nostra, recte et naturae convenienter iudicans, nisi, quae ad divinae illius similitudinem accedat. Iam non sumus ii, qui negemus, intelligi quandam magnitudinem posse, quae nullam habeat conjunctionem cum utilitate et felicitate humana, ut potentiae, ut ingenii, ut divitiarum, cuius etiam admiratione capta vel vanitas, vel stultitia humana, magnos interdum appellavit eos, in quibus ea inesse existimaretur, ut adulatio quondam

Graeca